



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quæ patri attribuitur vnitas. H

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



*Quare patri attribuitur vnitas, & filio æqualitas.*

Sed plurimos mouet, quod patri attribuit vnitate, filio æqualitate. Cum n. vnitas dicatur secundum substantiam, non tantum in patre est, sed etiam in filio & in spiritu S. & æqualitas vna est patris & filii & spiritus S. Cur ergo patri attribuitur vnitas, & filio æqualitas? Forte eadem ratione attribuitur patri vnitas secundum August. qua supra eidem æternitas secundum Hilariū: quia videlicet pater ita est, vt ab alio non sit, & quia filium genuit vnum secum Deum, & spiritus sanctus ab eo procedit vnus cum eo Deus. Vnitas ergo in patre esse dicitur, quia nec est aliquid aliud à quo sit. Non enim ab alio est, nec ab eo aliquis vel aliquid est ab æterno, quod vnum cum eo non sit: filius enim & spiritus sanctus vnum sunt cum patre: Vnde veritas ait, Ego & pater vnum sumus.

*Quare pater & filius dicatur esse vnum vel vnus Deus, sed non vnus: quia res eiusdem nature recte possunt dici vnum simpliciter esse & cum adiectione: res vero diuersæ nature non possunt dici vnum, nisi dicatur quid vnum.*

Hic dici oportet, quod pater & filius & spiritus S. recte dicuntur esse vnum & vnus Deus, sed non vnus. Res n. duæ vel plures recte possunt dici vnum esse, si sint vnus essentiæ, & earum vna sit natura. vnus autem vel vna non potest dici de diuersis rebus, nisi addatur quid vnus vel vna. quo addito, recte potest dici de rebus & vnus & diuersæ substantiæ. Vnde August. in 6. libr. de Trinit. sic ait: Nescio vtrum inueniatur in scripturis dictum, vnum sunt, quorum est diuersa natura. Si autem & aliqua plura sunt eiusdem nature & diuersa sentiunt, non sunt vnum in quantum diuersa sentiunt. Cū ergo sic dicitur vnus, vt non addatur quid vnus, & plura

*Cap. 2. in principio. Ib. de paulo superius.*